This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

METHODVS COGNOSCENDI, EXTIRPANDIQVE EXCRESCENTES ín veſicæ collo carunculas.

AVTHORE

Andrea Lacuna Segobienſi,

MEDICO

IVLII III. PONT. MAX.

Illuſtriſſimiq; & Reuerendiſſ. D. D.

FRANCISCI A MENDOZZA

Card. Burgen.



Cum Priuilegio Summi Pont.

616.6
UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
MEDICINA

CLARISSIMO VIRO DOMINO Marino Spinello, Archiatro Viceregis Neapolitani, Andreas Lacuna S. P. D.

QVI apud ſe nonnulla ſecreta Naturæ, uel artis Medicæ, ſupprimunt, quibus uitam iuuare poſſent mortalium, grauanturq́; ea in publicam omnium commoditatem edere, ij, Vir clariſſime, communes, capitalesq́; humani generis hoſtes cenſendi ſunt, ut pote homicidæ teterrimi: non ſecus atq; illi, qui quum horrea magnis habeant frumenti aceruis referta, eſurienti haud condoleſcunt plebeculæ, ſed permittūt, ut in maxima caritate annonæ, confiſciantur extrema fame et inopia. Nec ſcio ſanè, utri nam horum ſint crudeliores.

Quocirca peſtilens id genus hominū Galenus iuſtis de cauſis ſuggillans, cōmentario de Theriace ſic ad Pamphilianum ediſſerit.

Digitized by Google

Κομιδῆ γὰρ ἀμούσου τινὸς εἶναι δοκεῖ μοι, τὸ ἀποκρύπτεσθαί τι τῶν εἰς σωτηρίαν διαφερόντων, ὑπὲρ ἧς ἅπαντες οἱ κατὰ τὴν μητρόπολιν εὔχονται δικαίως, ἅτε δὴ κατ' ἰδίαν εὐεργετούμενοι, καὶ κοινῇ κοσμούμενοι, διὰ τῶν ὑπὲρ τῆς προνοίας τῇ πόλει κατασκευαζομένων κοινωφελῶν ἔργων.

Quòd ſi hac tempeſtate infelici, nulli, aut perrari, ſint Mecœnates, qui ſua liberalitate et fauore, generoſos conatus prouehãt (hodie namq;, proh dolor, lenones, moriones, paraſiti, mimi, & hiſtriones, ornamenta ſunt atq; deliciæ Principum) nec iuuantibus ſua induſtria Remp. honos is habeatur, qui, uel teſtimonio Galeni, olim hac in urbe illis haberi erat ſolitus: non ob id tamen ceſſare ab inſtituto viri Optimi debent, uerùm indies pergere alacrius, ut cunctis liquidò oſtendant, ſe non auaritia, aut gloriæ ductos cupiditate, ſed ſtudio pietatis accenſos, ac propter ſolam uirtutem, quæ omnibus illam ſectantibus pollicetur præmia immortalia, nauare publicæ utilitati ſuam operam.

Digitized by Google

Quum igitur ab orbe condito in hæc uſq; tẽpora innumeri penè mortaliũ, ob ſuppreſſam urinam ab innatis ueſicæ collo carunculis, q̃; miſerrimè animã exhalarint: idq; uniuerſis medicis cauſam tanti mali ingnorantibus, eamq; lapillo tribuentibus; ac proinde ſæpe ipſos ægros perperam, & in caſſum ſecantibus: me non poſſe gratiorẽ oblationem offerre Deo ſum arbitratus, q̃; ſi in communem hominum uſum, pro quorum nimirum ſalute, ſanguinem ille ſuum, longè precioſiſſimum fudit, methodum ſalutarem exterminandi hunc morbum traderem, quæ à Philippo Luſitano, homine quidem Empirico, ſed primo illius inuentore (neq; enim quiſq; ſuo eſt honore fraudandus) fuit nobis haud ita pridem communicata.

Nãm quum ſuperioribus annis permulti Principes uiri, quos ille curandos ſuſceperat, unà cum eo me accerſerent, ut ne quid temerè gereretur in ipſa curatione cauerem, inſtituerem q; uniuerſam uictus rationem:

Digitized by Google

certè neceſsum fuit, eam artem, quam ueluti myſterium quoddam celabat cæteros, mihi etiam communem fieri, necnon Ornatiſſimo Viro. D. Ioanni Aquilerio, Medico Pontificio, qui nobis perſæpe aſtitit.

Inter alios porrò, qui fuerũt illius ope ſeruati, Illuſtriſſimum Principem. D. D. Ferdinandum à Cardona, Almirallum Neapolitanum, ac præterea Dominum. D. Lodouicum Carauaiallum, Virum non minus proprijs virtutibus, quàm proſapia ſuorum maiorum, clarum, qui poſt longos, acerbiſſimosq́; cruciatus, diſquirendæ ſalutis ergo, Romam ſe contulere, incredibili facilitate reſtituit, apud Illuſtriſ. ac Reuerendiss. Dominum. D. Franciſcũ à Mendozza, Cardinalem Burgenſem, Patronum et Mecœnatem meum, multis nominibus obſeruandum: cuius ædes perpetuò patent, ac xenodochij ſunt uice cunctis, qui aut generis claritudine, aut aliqua uirtute inſigniti, ſe ſe in illas recipiunt.

Digitized by Google

Philippo in Palæſtinam profecto, Didacus Dias pharmacopola, etiã Luſitanus, ſucceſſit: qui quum illum olim hoſpitio excepiſſet, ab eo nihil eiuſmodi ſuſpicante, clandeſtina obſeruatione artem utcunq; didicit: qua poſtea; & multis alijs eſt auxiliatus, & ſibi ipſi nomen & opes auxit.

Quum autem ea occaſione apud ipſum Didacum diuerſaretur Gineſius Fontanus, Illuſtriss. atq; Excellentiſſimi. D.D. Petri à Toleto Chirurgus abſolutiſſimus, ut eſt laborioſo ingenio, & tenaci, actutum concepit artem, conceptamq; retinuit: quam deniq; incredibili atq; admiranda dexteritate exercuit.

Ne itaq; inter tam paucos, doctrina tam ſalutaris, tamq; neceſſaria omnibus, premeretur, placuit eam euulgare, ſed illuſtratam præfatione atq; ſplendore nominis tui, Vir Ampliſſime, ut multo maiori applauſu exciperetur ab uniuerſis.

Nam quemadmodum qui purpuram, ho

Digitized by Google

loſericum, byſſum, ac tapeta pretij exquiſiti χρυσοπάρυφα intus habēt venalia, frontiſpicijs officinarū cōſueuere fimbrias quaſdam aureas appendere, ad illiciendos animos τῶν ἐμπόρων, ſic vt hæ noſtræ qualeſcunq; lucrubationes eruditis multo acceptiores eſſent, nulla ratione alia fieri poſſe autumaui, q̄; ſi patrocinio tuo cōmunitæ emergerent, tibiq; uni dedicarentur, quem ob heroicas iſtas, immortalesq́; tui animi dotes, prudentiam dico, continentiam, conſtantiam, incomparabilemq́; non in arte Pæonia *tantùm, ſed in omnibus diſciplinis, ſapientiam, multiiugamq́; doctrinam, humanitati, fidei, ac ſummæ pietati coniunctam, cuncti hodie, & ſuſpiciunt, & admirantur.*

Suſcipe itaq; læta fronte hoſce quantuloſcūq; labores noſtros, ſub tutela tua prodeuntes, ingenuisq́; diſciplinis et artibus ne ceſſes patrocinari, per quas tantum honoris, & dignitatis es conſequutus Vale. Romæ: kal. Apr. M. D. LI.

Digitized by Google

METHODVS COGNOſcendi, extirpandiq́; excreſcentes in ueſicæ collo carunculas, Andrea Lacuna, Segobienſi, Authore.

INTER pleroſq́; alios affectus corporis, quibus indies torqueri ſolet uita mortalium, unus gonorrhœa exiſtit, quo detenti, aſſiduo fluore ſeminis, cui nec uoluptas, nec tentigo, nec ulla prorſus uoluntas, coniuncta eſt, infeſtantur.

Solet autem affectio hæc multis excitari de cauſis. Nam & acrimonia, & tenuitas ſeminis, poßunt in cauſa eſſe, ut contineri intra uaſa illud non poſſit, ac proinde perpetuò effluat.

Prodigioſa etiam illius abundantia, ſolet ſæpe gonorrhœā inducere. Quocirca eos maiori ex parte hoc affectu exerceri conſtat, qui quum probè curent cuticulam, indulge

Digitized by Google

antq́; Cereri, & Baccho, cœlibatui ſe deuouerunt, cum Venereq́; nullum prorſus commercium habent. Nam quum ij benignorũ recrementorum maximam colluuiem accumulent, neceſſum haud dubiè eſt, vt ſemẽ ipſum redundans, aut excernatur; aut computreſcens intus, grauiſſima ſymptomata inducat.

Vnde nõnullos olim grauiſſimos philoſophos legimus, nõ ob uoluptatem, ſed ut conſulerent ualetudini, indulſiſſe libidini, perinde ac ſi nulla fuiſſet ei coniugata uoluptas.

Imbecillitas præterea teſticulorũ, gignendo huic morbo plerunq; occaſionem dedit. Qui quidem imbecilli redduntur ob intemperiem aliquam ſimplicem, uel compoſitam: ob tumores præter naturã; obq́; omnimodam continentiam. Ignauia ſiquidem (vt inquit Plato) exoluit: proprij autem officij exercitatio, robur auget particulis. Quare pulchrè, mea quidem ſententia, Galenus refert, cunctos ſuæ tempeſtatis Cantores, quũ ne per ſomnium quidem uſum uenereorum

admitterent, habuiſſe pudenda exilia, rugoſa, maximeq́; flaccenſcentia, & collapſa: id quod neutiq; noſtris accidet, qui cauent ſedulò, ne in earum partium imbecillitatem ſimili ex occaſione incidant.

Solet tamen, et ob inexhauſtam libidinē, acceſſumq́; ad putida ſcorta, præcipuè dum menſtrua deſcedunt, continuus ille ſeminis fluor inualeſcere: id quod perſæpe experiuntur ij, qui luxu, & uenereis illecebris totam uitam contaminant. Quippe nimia illa frictio, attritioq́; penis, quæ aſſiduo ex hymenæo accidit, concitat illuc, non teſticulorum modò, ſed totius etiam corporis ſuccos, ultro alioqui fluentes, ut pote iam ex immodica uenere calidiores atq; tenuiores effectos. Sæpenumero etiam, ubi quis uel refractariam uirginem, uel aliquam matronam inexorabilem, tentat per uim polluere, nec poteſt eam expugnare, ſolet ſolui in gonorrhœam.

Longa item ſub ardenti cœlo equitatio, ita laxare ſolet arterias illas et uenas, quæ iu

xta renes conſiſtunt, ut per eas ſucci, ueluti colliquati & fuſi, ad teſticulos facilè delabantur.

Vnde ueri ſimile eſt, per eiuſmodi affectum non ſemper purum atq; inculpatum ſemen excerni: ſed maiori ex parte uitioſum, acre, ac prorſus tale, ut τῆς κακοχυμίας potius, q̃; geniture, nomen mereatur.

Nam qui obſecro fieri poteſt, ut gonorrhœa diuturna urgente, quã uidimus aliquando tres & quatuor annos cruciare, ſi per eam exhauriri benignum ſemen dicamus, nõ modò non contabeſcat humanum corpus, quod ex uno, alteróue concubitu uoluntario, ſolet ſæpe elangueſcere, atq; labefactari, ſed interdum etiam, q̃; antea, multo robuſtius ac uegetius euadat?

Quemadmodum igitur in mulieribus, menſtruam illam colluuiem ſingulis menſibus conſtat exterminari, ſic etiam et in uiris rationi eſt conſonum, aliquando redundantia excrementa ſanguinis, quæ nec per uri-

Digitized by Google

nam, nec diſcuti per ſudores, aut inſenſilem tranſpirationem potuerunt, ad ipſos teſtes per ſeminaria uaſa confluere, ac dein ad collum ueſicæ, ut inde per meatum lotij excernantur.

Qua ex re *non eſt ꝙ quiſpiam miretur, præſertim quum in* Lotharingia *et* Germa*nia nõnulli ſint uiſi à nobis, qui purgationes muliebres ordinata uiciſſitudine paterentur, ac lac in mamillis gignerent, uiri certè in otio et mollitie alti, totaq́; uictus et exercitii ratione prorſus effœminati.*

Si igitur ſemen quod per gonorrhœam effunditur, purum ſit, atq; omni ex parte inculpabile (tale enim debet eſſe pellucidum, lene, omniſq́; alienæ qualitatis, atq; grauis odoris expers) nihil negotii faceſſet urinario meatui, niſi hærens in eo computreſcat: indicat tamen uel plenitudinem, uel imbecillitatem retentricis potentiæ, quatenus dictum eſt: uel conuulſionem etiam ſpermaticorum uaſorum: quo nomine ſolent epile-

Digitized by Google

ptici omneis ſemen, dum conuelluntur, exprimere.

Si uerò non ſit eiuſmodi, ſed infectum, contaminatumq; miſcella uitioſorum ſuccorũ (cognoſces enim id eſſe tale, quum ex odore graui et uiroſo, tum uel maximè ex conſiſtentia & colore, quibus pus non probè concoctum refert) totum per quem transfluit meatum, ac præcipuè ipſum collum ueſicæ, in quod pori ſeminarij implantantur, primò quidem excalfacit: poſtea uerò, acrimonia ſua erodit, exedit, pungit, ac mordaciſſimè exulcerat.

Sed neq; inficiamur interim, et ab acrimonia urinæ, & à calculis anguloſis, qui unà cũ illa excernuntur, poſſe urinarium meatum aliquando etiam exulcerari: quæ ſic tamen abſq; gonorrhœa intra colẽ gigniuntur ulcera, & diſtinguntur facilè, & citiſſimè perſanantur.

Vlcus autem in ueſicæ collo conſiſtens, ab eo quod ueſicam exercet, hoc indicio diſtingues,

Digitized by Google

& ubi collum exulceratum eſt, pus ueluti in unum compactum, ipſam urinam præcedat, dolorq́; inter meiendũ longè acerbiſſimus circa partem exulceratam ſentiatur, contra q́; in ueſica ulcere obſeſſa contingit: nam neq; ita ſæuus ſentitur dolor: nec pus mingitur ab urina ſecretum, ſed cũ illa prorſus commiſtum. Taceo ueluti ſquãmulas quaſdã unà cũ urina excerni, ubi ueſica ulcere affligitur: urinamq́; ipſam reddi quàm maximè fœtidam. Iam uerò, dum urinæ meatus exulceratus eſt, colis intentus dolet, curuaturq́; ad inferna, neq;, niſi inter fœmora, indolenter teneri poteſt.

Porrò ulcus in ueſicæ collo, aut in penis cauitate, contractum, niſi cito, ac ſcitè curetur, in caruncula ſ præter naturam attollitur, à quibus meatus urinæ obſtruitur. Nam quemadmodum ex puriſſimo ſanguine caro inculpata gignitur, ſic ex ſuccis uitioſis, alluentibus, & irrigantibus ulcera, ſolet ſpongioſa quædam caro ſuccreſcere; quam

in externis quidem corporis partibus, facilè: in abditis autem, atq; intus deliteſcentibus, ægerrimè exterminamus. Quocirca danda nobis opera eſt, ut, ſi fieri id poſſit, prohibeamus eius generationē, ulcus ipſum, prius quàm intumeſcat, ſanantes.

Sanabimus ulcus in urinæ meatu excitatum, ſi exiccarimus ipſum, cicatriceq́; obduxerimus. Atqui neutiq́; licebit hoc nobis, niſi coercuerimus prius humores confluentes ad partes exulceratas: id quod fieri debet per contraria ijs, à quibus fuerunt in eas concitati.

Siquidem ſi illius defluxionis cauſa plenitudo aliqua extiterit, uacuanda eſt, pro natura redundantis humoris: ægerq́; tenui uictus ratione alendus. Si ſuccorum acrimonia, & tenuitas, incraſſandi ſunt, reducendiq́; ad ſymmetriam: ut corroboranda uaſa ſpermatica, ſi eorum ſuſpicemur aliquam imbecillitatem. Similiter ſi uenus nimis coercita ſit, eſt laxanda: coercenda uerò, ſi ſolu-

Digitized by Google

tior q; rationi conueniat. Si labor ſimul et æſtus, conciliarunt gonorrhœam, corpus re-frigerandum eſt, minimeq; exercendum.

Fingamus ergo uirum quempiam quadra genarium, ſanguineo, bilioſoq; temperamento præditum: uenoſum inſuper, hirſutum, uene-riq;, & improbis exercitijs deditum, corre-ptum eſſe gonorrhœa, indeq; iam contraxiſſe ulcus in collo ueſicæ. Atq; hunc ipſum, & calculoſum, &, ſi placet, urinæ ardore infe-ſtatum, ineunte Vere, nobis proponamus cu-randum: idq; in regione calida, & humida, maximeq; obnoxia fluxionibus, qualem eſſe hanc urbem Romam, liquidò conſtat.

In primis aluus eſt ſubducenda, iniecto molli clyſtere, quod ſequitur. Re. Foliorum maluarum, uiolarum, parietariæ, & lactucæ, anà M.i. Hordei mund. prunorum Dama-ſcenorum, anà p.i. coquantur ſecundum artis præcepta, in ſufficienti aquæ portione. Poſtea decocto excolato, adijcito pulpæ caſſiæ, unc. i. rhodomelitos, olei uiolacei, anà unc. ij. fiatq;

Digitized by Google

clyſmus.

Aluo ſubducta, interna dextri cubiti uena, quam baſilicam uocant, tundatur, extrahantur'q; ſenæ unciæ ſanguinis.

His, ut decet, adminiſtratis, curriculo dierum ſex, propinetur illi ſequens ſyropus, ubi primùm aurora illuxerit, neq; edat, niſi exactis à potione quinq; horis. Re. Syr. uiolacei & endiuiæ, an. unc. i. Aquæ hordei, unc. iij. pul. trium ſandalorum. ſcrup. S.

Septima die, niſi nouilunium, pleniluniũ ue id prohibeat, hauriet diluculo huiuſcemodi pharmacum. R. Prun. Damaſcen. glycyrrhizæ raſæ, tamarind. hordei mun. an. drach. iij. quatuor ſem. fr. mai. mund. anà. drach. ii. S. trium florum cord. an. p. i. coquantur ſimul, atq; decocto ipſo diluantur, pulpæ caſſiæ recens extractæ à fiſtula, et diacatholicon, anà drach. v. Syr. ſolutiui ex nona infuſione roſarum Alexandrinarum, unc. iij. pul. electuarij trium ſand. ſcrup. i. fiat potio. Cui, ſi æger Vir Princeps, aut diues ſit, caſſiæ loco,

indantur mellis aerei, quam mannam uocitant, unc.ij. Atq; hæ quidem uacuationes poterunt repeti à nobis, quoties eas ex uſu fore arbitrabimur.

Vacuatione abſoluta, ſumat aliquot dies mane unciam unam roſarum ſaccharo conditarum: bibatq; inſuper cyathum unum aquæ, in qua hordeum diſcoctum fuerit.

Abluantur præterea crura decocto roſarum rubearum, hordei, uiolarum, calycumq; papaueris. Ablutis plantæ pedum radantur, ac reſcindantur ungues.

Renes, ac tota ſpina, teſticuliq;, & pudendi radix, refrigerentur ſequenti ſmegmate, quod debet adminiſtrari actu frigidum. Re. unguenti roſacei, & refrigerantis Galeni, ſingulorum unc.i. olei uiolacei, unc. S. pul. roſarum rub, ſand. citrini, ſpodij, anà drach.i. caphuræ grana v. miſceantur accuratiſſimè, inſtillatis guttis aceti roſacei.

Si ne ſic quidem coerceatur gonorrhœa, plumbeam quandam bracteam, mediocris

Digitized by Google

ſpiſſitudinis, ægri admouebimus lumbis, qua meatus relaxati opprimantur, atq; ita, fluitantes ſuccos minus poſſint tranſmittere: uel applicabimus huiuſcemodi emplaſtrum, ut hæreat perpetuò renibus, donec ſponte ab eis decidat. Re. Boli Armenici, *terræ ſigillatæ, ſanguinis drac. coralli rub. roſarum rub. electri, ſpodij, ſandali citrini, anà drach. ij. acatiæ, thuris, maſtiches, anà unc. S. picis naualis, & colophoniæ, anà unc. i. S. terebinthinæ, ceræ, anà unc. i.* Rob *myrtini, unc. ij. conficito.*

Precium *etiam operæ fuerit, ut bibant aliquot dies cyathum unum ſeri lactis caprilli, cui permiſta ſit uncia ſyropi uiolacei.*

Quod *pertinet ad remedia topica, ipſi congruentia ulceri, in primis illud aqua hordei, quæ modicum roſacei mellis receperit, per ſiphonem, abluendum ac detergendum eſt: poſtea uerò, ad cicatricem ducendum, ſequenti collyrio iniecto.* Re. Aquæ *roſaceæ, & plantaginis, anà unc. iiij. ſacchari lapideſcentis, uulgo canditi appellati, unc. i. ceruſſæ, argenti*

Digitized by Google

ſpumæ, quam lithargyrum nominant, alumi-nis rochæ, anà drach. i. S. caphuræ, ſcrup. S. fiat collyrium. Cui quidem, ſi id exiccantius deſyderes, poteris adijcere drachmas. ij. unguenti Aegyptiaci.

Porrò tota uictus ratio eò ſpectare debet, ut mediocriter alat, refrigerandóq; ſimul, et humectando, humorum acrimoniam retundat. Quare lupum (quod circumfertur) tenemus auribus: quum ulcus quidem, exiccantem uictus rationem poſtulet: illius autem cauſa, contrariam. Vtriq; tamen rite ſatisfecerimus, ulceri quidem ipſi, occurrentes per exiccantia topica: cauſæ uerò illius, eſculentis, et potulentis, quæ uapida, & halituoſa humiditate corpus ipſum reficiant.

Alatur itaq; gallinarum atq; caponum iuſculis, quæ lactucam, intibum, aut cichorion, in coctura ipſa receperint: eſitetq; nonnihil ex ipſis carnibus.

Inchoabit autem prandium, & cœnam ſemper à Damaſcenis prunis, coctis in aqua,

Digitized by Google

& ſaccharo, donec intabeſcant: dein uerò, ad ſorbitiones, ac poſtmodum ad ſolidiora, ſe accinget.

Licebit illi uti etiam phaſianis, pauonibus, hœdinis, ac uitulinis carnibus, adeóq; ouis ſorbilibus. Ex piſcibus tantùm ſoleam, & mullum, cum eiſq;, ſi uidetur, auratam, propoſito nobis ægro permitto: ꝙ cæteri ferè omnes aut cacochymi ſint, aut ſuperflua quadam humiditate redundent.

In menſis ultimis utatur carnibus cydoniorum conditis ſaccharo: uel præparato ſimiliter ſemine coriani. Quorum ſi copia non detur, edat poma odorata, & dulcia, ſub cineribus cocta.

Potus ſit nõ uinum, ſed hordei, ac glycyrrhizæ decoctum: uel (ſi hoc non ſatis palato arrideat) hydroroſaceum, quod ex aqua, et ſaccharo, modicóq; ſucci roſarum, conſtat.

Cauendum omnino eſt à diureticis ualidis, quòd humores ad particulas exulceratas pelliciant: utendumq́; in uniuerſum ijs, quæ

minuant dolorem, exaſperata leniant, impetumq́; turgentium humorum ſiſtant. Quare acria, ſalſa, et piperata omnia, prorſus circuncidenda ſunt, cum eisq́; aſparagi, & cappares.

Quatuor horis poſt abſolutam cœnam, ſcilicet dum it cubitum, ſorbeat ſingulis noctibus cremorem amygdalarũ dulcium, ſic præparatum. Re. Amygdalarum dulcium á pelliculis exutarum, unc.i. quatuor ſem. fr. mai. recentium, et mund. an. drach.ij. ſem. pap. albi, drach.i. tundantur ſimul, macerenturq́; glycyrrhizæ decocto: Poſtea uerò, cremori expreſſo, calfactoq́; mediocriter, ſacchari candidiſſimi unciam unam, ad ſaporis gratiam, adijcito, ipſumq́; ſic propinato. Siquidem etiam ſi eiuſmodi ſemina nonnihil diuretica ſint, exercent tamen ſuum munus leniendo, uireisq́; maximè anodynas ſortiuntur.

Cremore abſorpto, ineatur ſomnus, ſitq́; in dextrum latus, uel in ſiniſtrum, decubitus: quandoquidem ei qui ſupinus dormit, incale-

Digitized by Google

ſcunt renes, & lumbi, conſortij'q; lege incen dium atq; feruorem ſuum, genitalibus mem- bris, per communes uenas, communicant: un- de conſentaneum eſt, adaugeri fluxiones.

Quum autem propoſitum ægrotantem, in- ter alia, & calculoſum eſſe uoluerim, obiece- rit iam aliquis calumniator, calculoſis mini- mè expedire refrigerantia, ut quæ multo ma gis calculos ipſos compingant: ſed calida, te- nuiſſimarum'q; partium diuretica, & quæ acrimonia ſua poſſint eos comminuere.

Quàm uerò ſit caduca, & inanis obiectio hæc, illi facilè intelligent, qui accuratè no runt, calculos quidem maiori ex parte coale- ſcere in renibus, ob illorum ardentiſſimam ca liditatem: à qua ſic peraſſantur, et aduruntur ſucci, ut ſolent lateres, ab inſigni ipſius furni calore: diſſolui autem à frigido, & humido, quæ à calido, & ſicco indurata fuerunt.

Quare ab ijs medicis non minus cauendũ eſt, q̃; à morbo ipſo, qui infeſtatis calculo re- num, calidiſſima propinant medicamenta: qui

Digitized by Google

bus, præter q̃ꝙ nihil præſidij adferunt, cal- culi occaſionem adaugent, inflammant uiſce- ra, ac renes deniq;, & ueſicam, exulcerant,

Diximus itaq; omnia, quæ uidebantur eſ- ſe opportuna cognoſcendis, perſanandis'q; ul- ceribus in collo ueſicæ, atq; adeò in penis mea tu, obortis.

Si uerò ulcuſcula id genus, ꝙ neglecta, maléue tractata fuerint, in tumorem præter naturam excreſcant, eadem uictus, & medi- cinæ ratio uſurpanda eſt, quam hactenus ad curanda illa tradidimus: collutionibus, & col lyrijs exceptis, quæ non expediunt, donec ex- tans caro, exeſa prorſus eſſe uideatur.

Cognoſcitur autem caro in collo ueſicæ, uel in alia quauis meatus urinarij parte, extu berans, ex inſigni urinæ difficultate, quæ quum promptè fluat uſq; ad affectam parti- culam, adeò illic ſupprimitur, ut non niſi gut- tatim, & cum maximis conatibus, progredia tur. Quocirca ſic infeſtati, dum lotium conan tur reddere, coguntur ſimul aluum etiam la-

Digitized by Google

xare.

Celebrantibus quoq; hymenæum, in medio curſu illis genitale ſemen coercetur, coercitumq;, adeò languidè, frigidè, ac citra uoluptatem, deſtillat, ut uerè dicere infelices poſſint, dum incumbunt generationi, ludere ſe prorſus oleum, & operam. Fieri ſiquidem nequit ut gignant, qui eiuſmodi carunculis infeſtantur.

Imò uerò ubi æger minxit, ex ipſo etiam lotio nonnihil in collo ueſicæ citra carunculam reſtitat: quod quidem excerni haud poteſt, niſi pudendi radix manu fortiter comprimatur.

Sed neq; rectà ipſum lotium excernitur, ubi meatus occupatus à caruncula eſt: uerùm in unam, aut alteram partem, refringitur, atq; interdum etiam diuaricatur. Nam ſi excreſcens caro inferiorem canalis partē obſideat, egreſſa urina, confeſtim ſurſum uerſus torquetur: ſi ſuperiorē, deorſum tendit: ſiniſtrorſum, ſi regionem dextram afflixerit: ut dex

trorſum, ſi ſiniſtram obſederit. Diuaricabi*tur porrò, ſi meatum urinarium ſecundum latitudinem in duas cauitates increſcens caro diuiſerit.*

Contingit etiam plerunq;, adeò eſſe obſtructum, & obturatum iter urinæ ab innata carne, ut uia ſolita excerni urina ipſa non potens, per alias partes erumpat, admirandosq; effluxus, natura opitulante, moliatur. Noui ſiquidem plureis, qui per eam regionē, quæ ſita inter teſticulos eſt, lotium emitterent. Sunt qui illud per ſedem: ſunt qui & per inguina excernant.

Præter dicta eſt aliud, neq; id uulgare, argumentum, enatæ alicuius carunculæ, ꝙ ſi ſpecillum, aut cathetera (ſic enim uocant fiſtulam, qua educi urina conſueuit) per urinariū meatum inſeras, penetrare ad ueſicam uſq; non poſſis, ſed ſtatim in offendiculum, hoc eſt, in tumorem ipſum, impingas: ultra quem progredi abſq; ſaltu non poteris.

Iam uerò, quum ob maximam ipſius mea-

Digitized by Google

tus anguſtiam ex lotio nihil exprimi poſſit, aut tantùm quod in eo eſt tenuiſſimum: rationi conſentaneum uidetur, ueſicam oppleri magna copia tenacium, & uiſcidarum ſuperfluitatum: quæ poſtea cum urina uſq; ad iſthmum delatæ, inibi'q; hærentes, obſtructionem longè maiorem faciunt.

Lapis autem in ueſica deliteſcens, à caruncula innata collo diſcernes, quum ex tactu ipſo, ꝙ poſſimus illum per immiſſum cathetera contingere, tum uel maximè ex prurigine iuxta penis radicem orta, necnon longè diuerſo modo ſuppreſſionis urinæ. Iis ſiquidem qui lapillo torquentur, quum liberè, copioſe'q; aliquando profluat urina, repente in medio fluxu ſupprimitur, nimirum lapillo ipſo, ex ueſicæ fundo in collum illius incidente, eum'q; fortiter obturante.

Quocirca, ſi collocetur ſupinus æger, ita ut crura ſint ſublimiora corpore, concutiatur'q; multifariam, lapis à collo recedet, facile'q; urina reddetur: id quod minimè carun

Digitized by Google

culis infeſtantibus accidet.

Duplex autem curandarum excreſcentium in urinario meatu caruncularum methodus reperitur: una quidem, uiolenta, maximeq; obnoxia periculo: cuius Galenus meminit libro primo de locis paſſis: ut puta ſi ænea fiſtula immiſſa, illas eradicemus, ita ut cum urina ipſa, & cruor, et carnis fragmenta excernantnr: altera uerò mitis, & facilis, diſcriminisq; in ſe nihil continens, utpote non ferri ui, ſed facultate medicamentorum progrediens: quam ignorarunt ueteres, & de qua impræſentiarum ſumus acturi.

Si igitur propoſitus à nobis had ita pridem æger, carunculas id genus contraxerit, præmiſſis dictis euacuationibus, obſeruataq; uniuerſa uictus ratione, quam ulceri ſanando inſtituimus, in primis tenero maluæ aut apij cauliculo (nam ordiendum ſemper eſt à leuioribus) inuncto prius oleo, quod amygdalæ dulces fuderunt, molliter atq; ſenſim ueſicæ collum tentabimus: cauentes interim, ne par-

tibus ſenſu exquiſitiſſimo præditis, magnam uim inferamus: unde, & rigores, & febres, & inſignes fluores ſanguinis, grauiſſima'q; alia ſymptomata, ſubſequi conſueuerunt.

Quòd ſi fortè cauliculus ipſe ad cauitatem ueſicæ absq; magna ui penetrauerit, caruncúlam non uſq; adeò excreuiſſe, argumentum erit: ob idq; de curatione ipſius maximā ſpem concipiemus. Si uerò impingens flectatur, frangantúrue, extrahendus eſt, emolliendaq;, & relaxanda ipſa intumeſcens caro, ut ſpecillis multo facilius cedat, tractabilioremq; ſe exhibeat. Emollietur autem, relaxabiturq; fomentis, collyrijs, & emplaſtris eam ad rem deſtinatis.

Adminiſtretur itaq;, & mane & ueſperi, ante prandium, & cœnam, hoc fomentum quod ſubditur. Re. *Foliorum maluarum.* M.i. Rad. *altheæ, apij, & fœniculi, an. unc.ij. Sem. lini, cydoniorum, & fœnigræci, an. un.i. Florum chamæmeli, ſtœcados, meliloti, pullegij, origani, anà, p.ij. caricarum pinguium,*

unc.i. S. *Coquantur omnia ſimul ad radicũ uſq; diſsolutionem: poſtea uerò æger ita illis inſideat, ut uaporem uniuerſum ab eis ſubla tũ, facilè pudibundis excipiat, ac præcipuè ip ſa colis radice.* Licebit *etiam, & eiſdem flori bus, radicibusq́; diſcoctis, eas partes leniter perfricare, admouereq́; ipſis ſpongiam deco- cto prædicto imbutam, ac dein compreſſam: quæ dum fiunt, iubeatur æger urinam red- dere.*

Fomento *adhibito, ille mador linteo aliquo molli abſtergendus eſt, perfundendæq́; par- tes omnes, quæ lotium ipſum diſpenſant, hu- iuſcemodi unguento.* ℞. V*nguenti dialtheæ,* A*grippæ, œſypi, butyri bubalini, an. unc.i.* O*lei amygd. dul. lilij albi, & chamæmelini, an. unc.ij.* Ammoniaci, *unc.i.* S. *ſucci apij, & chamæactes, an.unc.iij.* Mucilaginis *altheæ, & fœnigræci, an. unc.ij.* Ferueſcant *ſimul uſq; ad conſumptionem ſuccorum: poſtea pin guitudo excolata, in unguentum cogatur, in- iecto uidelicet recentis ceræ momento.* Pe-

Digitized by Google

runctæ partes, amiciendæ ſunt lana ſuccida, hoc eſt, nondum purgata ab œſypo.

Intra canalem uerò, inijciatur ſiphone iugiter collyrium huiuſmodi. Re. radicum altheæ, ſem. lini, & fœnigr. an. drach. ij: coquantur in tribus cyathis aquæ fluuialis, donec tertia pars abſumatur. Mucilagini poſtea tenui excolatæ, indantur olei amygd. dul. unc. iij.

His omnibus rite obitis, experire rurſus, an poſſis prædictarum herbarum haſtulas, per caruncula sad ueſicæ uſq; uaſtitatem inſerere. Quod quidem ſi ad uotum ſuccedat, breui tumorem illum diſcuſſum iri ſperabis.

Vt autem à glande ipſa pertingere ad uacuitatē ueſicæ poſſit inſerendus cauliculus, debet eſſe longitudine palmi unius, ac præterea digitorum duûm, ſed tranſuerſorum, ipſius uidelicet ægrotantis. At palmum impræſentiarum intelligo intercapedinem quæ à pollice, et minimo digito, maximè à ſe diductis, comprehendittur.

Si uerò ne ſic quidem cedat innata caro,

ſed

Digitized by Google

ſed renitatur, reluctetur'q; cauliculis, inſerenda leniter cerea candela eſt, ea uidelicet craſſitudine, quam urinarius meatus facilè excipere poſſit.

Cæterùm quia uerendum eſt, ne ſi candela intra penem frangatur (id quod maximè hyeme, ob ceræ duritiẽ, accidit) portio aliqua ipſius ad inania ueſicæ inſiliat, unde poſtea uix eijci poſſit: exaſperenturq́; à fractura partes exulceratæ: ob id utiq; debet illa ex forti quodam filo, ac cera, cui nonnihil reſinæ terebinthinæ inditum ſit, conflari.

Sic itaq; præparatam, ubi abſciderimus quod ſolet ardere filum, atq; ipſius retuderimus cuſpidem, perungemus illam oleo dulciũ amygdalarum, modiceq́; inflexam iuxta tenuiorem partem, inſeremus pluries in urinæ meatum. Quæ quidem ſi ultra tumentem carnem proruperit (quod ex ſaltu, et portione ingreſſa cognoſces) plus q̃ dimidium totius curationis te conſequutum eſſe, ne dubites. Quippe candela ipſa compreſſa, ſuccinctaq; à

Digitized by Google

caruncula, ueluti à neruo quodam arctiſſimo, ueram ſedem illius indicabit: poſtea'q; in ea ipſa parte, quæ cincta, & ſignata fuerit, emplaſtrum ſuperfluæ carni exedendæ aptũ recipiens, accurati emmoti, ac liniciniy, uicem præſtabit.

Quòd ſi non una tantùm, ſed plures præter naturam carunculæ, diuerſas partes meatus urinariy infeſtent, totidẽ in partibus candelam ſuccinctam eſſe comperies, quot ipſæ carunculæ extiterint: impulſáq; totidem etiã ſaltus abſoluet.

Verùm enim uerò, ſi eiuſmodi cerea candela ſuperare carnem contumacẽ haud poſſis, eiuſdem longitudinis craſſitudinisq;, uirgulã plumbeam conficito, eam'q; tinctam oleo prædicto inſerito. Plumbum ſiquidem, præter q; ꝙ anodynum eſt, ulceráq; exiccandi uim poſſidet, etiam quaſuis excreſcentes carnes ſuo pondere ſupprimit, conſtringit'q;, ut ſidant,

Poteſt tamen adeò rebellis, ac refractaria

Digitized by Google

eſſe ſuccreſcens caro, ut plumbeam etiam haſtulam reſpuat: quocirca tunc argenteo aureóue cathetere eſt utendum. Prius tamen q̃ hunc admoliamur, ſæpius rem experiemur, per ea quæ hactenus fuere à nobis expoſita. Siquidem catheteris uſus, quum non perinde obſequatur, in illas partes longè tenerrimas incidens, ſolet excitare graues hæmorrhagias, & quæ medicis iuxta, & ægrotis, maximum terrorem incutiunt.

Cæterùm ſi qua inſignis ſanguinis effuſio exoriatur, ſiſtetur facilè, per ſiphonē aqua plantaginis, & roſacca, quibus albumen oui permiſtum ſit, in meatum ipſum iniecta: admotoq; extrinſecus peni, ac pudibundis omnibus, huiuſcemodi cataplaſmate. Re. *Aquæ uel ſucci plantaginis, aquæ roſaceæ, anà unc. iiij. aceti roſacei, unc. ij. albumina ouorum numero. ij. pul. boli* Arm. *ſang. drac. coralli, roſarum, myrtillorum, cort. mali* Punici, *terræ ſphragitidos, anà drac. ij.* Conficito *cataplaſma, ipſumq;, ut dixi, admoueto.*

Quia uerò corporum curandorum uarietas maxima eſt, expedit habere catheteras complures, omni ætati, & ſexui, accommodatos: quandoquidem fœminæ interdum hiſce affectibus corripiuntur. Ad mares itaq; tres: ad fæminas duo ſunt ſatis. Atq; ex uirilibus quidem maximus ſolet eße quindecim digitorum: medius duodecim: minimus nouem. Ex muliebribus maior nouem: minor ſex. Incuruos autem eos eſſe paulum, ſed magis uiriles, oportet, quòd uiris magis intorqueatur collum ueſicæ.

Aeger igitur, dum tentatur, ſuper ſubſellium ſupinus eſt collocandus. Chirurgus autem, à dextro illi latere aſſiſtens, ſiniſtra quidem manu, colem eius contineat: dextra uerò, immitat fiſtulam in iter ipſum urinæ: atq; ubi ad collum ueſicæ peruenerit, ſimul cũ cole fiſtulam inclinatam, ſenſim in ueſicam compellat.

Solent autem chirurgi ſpongiam æneo alligatam filo uſq; ad finem catheteris inſerere:

Digitized by Google

quam retractam, confeſtim urina ſequitur, ua cui uitandi gratia.

Superatis ita carunculis, penetratóq; usq; ad ueſicam toto urinario meatu, inſtrumentū quo peractum id opus fuerit, ſiue ſit candela, ſiue ferula plumbea, ſiue deniq; καθετῆρ, per totam diem intus eſt relinquendū, cogendusq; æger ſic lotium reddere, niſi nimium ſit impatiens laboris. Sic namq; fiet, ut tum ab urina, tum ab organo inſerto, aquæductus ille q; maximè dilatetur.

Educto poſt longam inibi moram cathetere, uel plumbea ferula (ſi eis abſoluta operatio fuerit) inſerenda ultimò cerea candela eſt, ibidemq; ſinenda, donec ab ipſis carunculis cincta, ueluti ſtigmata quædam recipiat, quæ ad medicamenti delendis illis idonei exquiſitam appoſitionem, haud uulgariter conferent.

Extracta demum candela, inſpiciendum curioſè eſt, qua in parte ſit contuſa, & compreſſa: nam circa eam ipſam partem eſt obdu

Digitized by Google

cendum Philippi emplaſtrum, facultate admiranda præditum: quippe quod partes quidem ſanas tuetur, atq; conſeruat integras: eas uerò quæ unà cũ ulcere excreſcunt, abſumit abſq; inſigni dolore. Eius autẽ deſcriptio eſt talis.

Re. *Aeruginis, auri pigmenti, chalcitidos (quam in officinis uitriolum nominant) aluminis rochæ, ſingulorũ unc. ij. Perfuſa q; acerrimo aceto, inter duos marmoreos, uel porphyrites lapides, ducantur accuratiſſimè, redactaq́; in læuorem tenuiſſimum, exponantur Soli Caniculari. Exiccatus pollen, rurſus aceto affuſo ducendus, ac læuigandus eſt, Soliq́; ſimiliter exponendus: id quod octo, aut nouem dierum curriculo facere nõ ceſſabimus, donec partium ſumma tenuitate acquiſita, omnem prorſus acrimoniam atq; mordacitatem amiſerit. Conſtat namq́; fortium medicamentorũ ex aceto diebus pluribus contritorum, morſum quidem, & acrimoniam, obtundi: uireis autem, augeri. Quæ ratio obſeruatur etiam in metallicis medicamentis combuſtis: q̃uis hæc*

Digitized by Google

ex ignis commercio nonnihil mordacitatis retinent: quod elota deponunt; ac proinde ablutis utendum eſt, in ijs qui molli carne ſunt prædití, admodum'q; ad ſentiendum prompti, necnõ cacochymi.

Confecto puluere, accipito argenti ſpumæ, quæ & litharg yros appellatur, unc ij. olei roſacei unc. iiij. quibus per cocturam ad emplaſtri corpulenti conſiſtentiam redactis, illius uncias duas permiſceto, conficitóq; medicamen duriuſculum, ut candelæ uel plumbo adhærens, diffluere à propria ſede, uel ſi comprimatur, non poſſit.

Huius porrò emplaſtri compoſitionẽ credidit Philippus Petro Matorello, Hiſpano, Viro certè, ut probatæ ſidei, ſic pharmacopolæ integerrimo: qui poſtea deſcriptionem eius integram nobis ultro communicauit, & in cuius unius officina, quæ è regione iampridem obmuteſcentis Paſquilli eſt, medicamen ipſum extat curioſiſſimè præparatum.

Cæterùm quum uariæ ſint cõſtitutiones

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
Digitized by Google

atq; temperies corporum, ob idq́; unicum medicamen omnibus conuenire non poſſit: ſed molliora quidem, ſenſibiliora'q;, mitiorem ipſius emplaſtri uim poſtulent: acriorem autē, ea quæ robuſtiora ſunt: ob id utiq; præſtat ſemper in promptu habere duplicem eius compoſitionem: unam quidem, quæ longè mitiſſima ſit, præhumidisq́; ac maximo ſenſu præditis adminiſtretur corporibus: alterā uerò, quæ acerrimā exedendi, colliquandi'q;, facultatem ſortiatur, qualis robuſtiſſimis conſtitutionibus eſſe ſolet ex uſu. Quas inuicem temperans, dum poſtulabit occaſio, pro uarietate miſturæ, permultas alias medias inter ipſas conficies. Nam ſi parem utriuſq; portionem contemperaueris, mediam ambarum ad æquilibrium edes compoſitionem. Quòd ſi ex altera plus adijcias, tantum à media ad ſummā illam diſpenſatio recedet, q̄ta fuerit ſupra mediocritatem adiecta portio.

Eſto igitur potentiſſimum medicamen, quo nimirum utemur in corporibus ualidiori-

Digitized by Google

bus, id quod recipit ad præparati pulueris un cias .ij. totidem ex argenti ſpuma, cum roſaceo in emplaſtri formam redacta. Vt mitiſſimũ, quod ex hac duplam portionem ſortiatur: prædicti uidelicet pulueris uncias binas: atq; ipſius emplaſtri quaternas. At medium exquiſitè inter hæc erit, quod ex binis eiuſdem pulueris, ac ternis dicti emplaſtri, conflatur: quale exiſtit, quod ex ambobus unà confuſis conficitur.

Quale autẽ ipſorum intrepidè poſſimus adminiſtrare, indicabit nobis, & habitudo, et ſenſibilitas ægri. Auſpicandum tamen ſemper eſt à mitiori, progrediendum'q; ad acriora, ſi ex uſu fore uideantur.

Quum itaq; ulceribus in alto latitantibus corpore, non liceat nobis admoliri neq; linicinia, neq; emmota, perinde ac ſi in cute conſiſterent: ob idq; neq; emplaſtra commodè adminiſtrare: eorum ſanè emolumentum, et uſum, ſuggerit nobis cerea candela, ut pote in ſe medicamenta excipiens, ac ueluti manu ducens

ad partes exulceratas.

Excauanda autem, deradenda'q; modicè, ipſa candela eſt, circa eam partem quæ recepturа eſt emplaſtrum: ne id uidelicet extans, eminensq́; penetrare ad affectam ſedem ob inæqualitatem non poſſit.

Licebit etiam nobis emplaſtrum ipſum plumbeæ circumponere ferulæ, ſi canalis anguſtior ſit, quàm ut illum permeare poſſit candela.

Sunt qui nequeuntes uſq; ad ueſicam traijcere, prædictum medicamen candelæ mucroni adaptant, ſperantes aſſiduo contactu illius, tumorem præter naturam ſe breui demolituros. Quum autem reluctanti carunculæ ipſius candelæ cuſpis diu hærere non poſſit, nihil ſanè, aut perexiguum, illi promouere mihi uidentur.

In ſumma uerò curandum eſt, ut medicamen exquiſitè adhæreat carunculæ. Sic nam'q; fiet, ut quinis uel ſenis diebus paulatim abſumat illam, atq; in humorem quendam

Digitized by Google

purulentum conuertat.

Cæterùm ſi dum hæc fiunt, aliquis dolor acerrimus, aut inſolitus rigor, aut febris, aut deniq; aliquod aliud graue ſymptoma, ipſum ægrum inuaſerit, extrahenda candela eſt, colluendusq; urinarius meatus lacte caprillo, aut aqua roſacea, cui caphuræ nonnihil permiſtũ ſit: tamdiuq; ſuperſedendum à chirugia, donec ſedata eſſe impedimenta illa omnia uideantur.

Carunculam extirpari cognoſces, quum ex mordicatione percepta circa exulceratam particulam, tum ex copia effluentis puris, quo etiam, dum extrahitur, apparet tota candela imbuta. Quæ quidem ſi tanta facilitate inſeratur, ut etiam parte craſſiori penetrare uſq; ad ueſicam poſſit, iam nõ extirpari modò, ſed prorſus abſumptam, & exterminatam eſſe, eſt indicium. Quòd ſi præter hæc, lotium liberè, cito, copioſè, ac recto tramite profluat, celeriterq; genitale excernatur ſemen, nulla relinquitur amplius tibi ambiguitatis occaſio.

Diſcuſſa, extirpataq; illa, quæ ſuccreuerat, carne, ulcus eſt abſtergendum, per ſiphonem prolixæ fiſtulæ iniecto ſæpius hoc collyrio quod ſubditur Re. Centaureæ minoris, apij, caudæ equinæ, anà M.S. Hordei contuſi, unc.i. coquantur in libris.ij. aquæ puriſſimæ, donec media pars abſumatur. Poſtea decocto excolato, rhodomelitos, uel mellis centaureæ uncias binas adijcito, utitorq;.

Cõmendatur etiam unicè ad ſordida, putreſcentiaq; urinarij meatus ulcera, collutio ex aqua per ſublimationẽ extracta à cocchleis & fabis uiridibus, cui ſit inditum nonnihil mellis roſacei. Si uerò tanta ſordium colluuies adſit, ut uix elui poſſint, adijcere leuem quandam portiunculam unguenti Aegyptiaci erit operæ precium.

Vlceribus iam puris redditis, inducetur cicatrix, huiuſcemodi ſmagmate per ſiphonẽ infuſo. Re. Aquæ plantaginis, & roſaceæ, anà unc.iiij. ſeri lactis caprilli, unc.ij. eCruſſæ drac.vi. aluminis rochæ, marmoris candidiſſi

mi, ſpodij, cryſtalli, ſingulorum drac .i. S. capburæ ſcrup.i. Arida terantur accuratiſſime, cribro'q; excuſſa tenuiſſimo, humidis diligenter miſceantur.

Tota etiam uictus ratio, ubi excreſcentes carnes exemptæ ac circumciſæ fuerint, paulatim eſt alteranda, conuertenda'q; ad paulo tenuiorem, atq; magis diureticam: quum uerendum amplius non ſit, ne mediocri diureticorū uſu ad ueſicam humores cientes, collum illius obſtruamus, ut pote iam abundè expeditum, adeo'q; patentem redditum, ut tranſmittere quæuis excrementa, uel craſſiſſima, poſſit.

His itaq; documentis inſtructus quiuis chirurgus, infeſtantes ueſicæ collum caruncu las, & diſcernet, et facilè exterminabit, id'q; opitulante Deo, Opt. Max. qui ut patitur innumera penè morborum genera quotidie in humanum genus graſſari, ad plectendam, compeſcendamq; ſuperbiā inſoleſcentium homunculorum, ſic nimirum implorantibus opē illius, ſolet ſemper ferre manus auxiliatrices

FINIS.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

QVIA in Galeni epitome, quam edidimus ſuperioribus diebus, quæ'q; fortè ad tuas manus peruenit, Candide Lector, paucula quædam ſunt, quæ ob editionem tumultuariam recognoſci ac dedolari haud potuerunt, animus eſt impræſentiarũ ea reſtituere.

Tom. i. pag. 100. lin. iij. legendum eſt. Quare pueris citra duodeuigeſimum annum prorſus uino interdicit ſecundo de legibus.

Tom. ij. pag. xxxv. cap. de peponibus leges. Succum autem in corpore gignit pepo uitioſum, id'q; potiſſimum, quum concoctus probè non fuerit. Quo caſu, choleræ morbo obnoxios conſueuit reddere. Quin etiam prius q̃ corruptus fuerit, ad uomitũ quoq; eſt idoneus: præcipuè ſi largius ſumatur: &c. Quæ omnia non de peponis ſemine, ut uidentur ſenſiſſe interpretes, ſed de ipſorum ueluti carne, intelligenda cenſeo.

Digitized by Google

Tom.3.pag.551.cap.de tumore ſuppurato,legendum eſt.Porrò ubi diſcutiendi tumorem amiſſa ſpes eſt.Et.c.

Reliqua uerò omnia errata,ad calcem indicis expoſuimus,quatenus reſtituenda eſſent.

Vale.



UNI... CENTRAL
BIBLIOTECA
MEDICINA
Digitized by Google